



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

II. An Deus creata objecta secundum se sumpta omnia vniuersim amet, &
singulatim, etiam, qua possibilia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94285](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94285)

liberi, quatenus ad obiecta alia honesta se extendit, specificatum diuini amoris, seu rationem bonitatis ob quam amor à Deo intentionaliter elicitur, neque esse, neque ex parte adhuc constituitur: etenim in duplici statu, sine signo moralis Dei honestas considerari potest. Primum est in actu primo: nempe pro inclinatione, vel potius determinatione, quoad speciem, diuine voluntatis ad honestum præ turpi obiecto profectum: & id quidem duplici ex parte constituitur, nempe voluntate perfectissima Dei, & summa physice, & metaphysice essentia diuina obiectiua bonitate: quæ, si necessitate ad sui amorem diuinum raperet voluntatem, nec ad affectum honestissimum, summæque, & infinite bonum moraliter intentionaliter moueret: quare, obiectiue loquendo, omnem moralem honestatem continet, atque malitiæ omni obiectiue aduersatur: unde amor ab ea bonitate specificatus odium formale malitiæ omnis est, atque ab omni obiecto inhonesto formalis auersio, vt supra dicebamus: æque quidem necessaria, atque est diuinæ illius, & summa bonitatis formalis profectio: quare etiam ex libertatis defectu odium hoc, est obiectiue honestum bonumque moraliter sit, non tamen absolute bonum moraliter est: sicut eodem defectu libertatis bona moraliter absolute non est diuinæ bonitatis profectio: cum autem honesta obiecta moralium virtutum, misericordiae, iustitiæ, &c. pro posteriori occurrant, liberque diuinus amor ad ea extenditur, hanc, vel illam exercite, absque vlla sui variatione profectendo: honestas quidem moralis exercite, & in actu secundo est: sed quæ sui amorem minime specificet, est propter ipsas amentur: quia ex bonitate illa physica, & metaphysica summa, atque infinita Deitatis, totum amorem indiuisibilem diuinum specificatum obiectiue, & constitutum supponit: quare nil istic habet, quod obiectiue, quoad eius constitutionem, & specificationem, agat.

5. Oppones secundo contra secundam conclusionem: si enim amoris diuini omnia obiecta materialia sunt, & quæ propter diuinam bonitatem hactenus explicatam amentur: ergo, & ita etiam à Deo diuinus amabitur amor, & tunc ob eandem rationem reflexus: hic amor amabitur amore reflexiori: sique dabitur reflexiorum, & reflexiorum amorum processus infinitus repugnans: quare diuina omnia vniuersim amari, atque amoris diuini obiecta materialia esse, negare fatius erit. Ceterum diuinum amorem, immò, & nostrum à nobis amari docuit expressè Augustinus de Ciuitate Dei, cap. 8. his verbis. De amore, quo amamus, virum & ipse amatur, non dictum est. Amatur tamen: & hinc probamus quod in omnibus, quæ rectius amantur, ipse magis ametur. Neque enim vir bonus merito dicitur, qui scit, quod bonum est, sed qui diligit. Cur ergo, & in nobis ipse nos & ipsum amorem nos amare sentimus, quo amamus quicquid boni est: etenim amor, quo amatur quod amandum non est: & ipsum amorem odit in se, qui illum diligit, quo id amatur, quod amandum est. Et de amore Dei refert Ruiz sec. 4. à num. 4. testimonia quædam Dionysii 4. de diuinis nominibus & Hieroth. ibid. ab eodem recitati: & Maximi Centur. 3. cap. 38. apud Ciparissium decade 8. cap. 1. sub init. quæ de circulari diuini amoris motu à bono summo progredientis, & in ipsum reuertentis sunt: non autem de reflexione amoris diuini in seipsum. Negari autem nequit perfectiorem, magisque voluntariam esse tendentiam in bonum, quæ à ipse amor boni ametur sicut perfectior, certiorque, & euidentior subiectiue est scientia illius, qui non scit solum, sed & scire se reflexè nouit: quare nec diuino amoris ea perfectio deneganda est: sicut neque Scientiæ diuinæ, vt vidimus controu. 1. præterquam quod id ipsum ratio à priori data certam. 2. n. 5. sine cuius.

6. Oppositum verò difficultatem de infinita reflexione amoris diuini in simili attingimus controu. 2. d. 2. q. 5. certam. 1. de cognitione Scientiæ Dei, tanquam materialis obiecti per se ipsam & d. 3. quæst. 4. certam. 2. vbi contra plures recitatos certam. 1. num. 2. infinitum scientiarum reflexarum, & reflexarum metaphysicè diuersarum à Deo reiecit, & contra nostrum Ruiz de Montoya relatum eodem certam. numer. 1. statim diuersas Scientiæ Dei directam alia adhuc metaphysicè diuersa,

quæ supra ipsam formaliter reflectat, minime egere, vt à Deo formaliter cognoscatur: quia ex vna parte scientiæ à suo obiecto materiali, formalis adhuc, distinctio opus non est, vt vidimus primo loco citato ex contr. 2. atque, vt vidimus secundo loco ex eadem controuersia, inhuitas simpliciter, atque ex genere, & conceptu suo per denegationem termini, etiam extrinseci, quæ scientiæ Dei (sicut & diuinis reliquis, quæ diuinis) competit, pluralitati etiam metaphysicæ, formalium scientiarum Dei (sine qua directæ, & reflexæ, adhuc formaliter metaphysicè esse nequit) omnino repugnat. Hac autem omnia in amore diuino concurrunt. Siquidem, & infinitus simpliciter, & ex genere, & conceptu suo per denegationem termini, etiam extrinseci, est, æque, ac scientia, & purè, vt nuper diximus, terminatiuum obiectum: quare amare alio reflexo, adhuc formaliter, & metaphysicè, diuerso, amari à Deo repugnat: unde est in amore creato opus alio reflexo sit, vt ametur: secus in diuino vt primo loco citato ex controu. 2. vidimus. Cessat ergo reflexionis infinitæ difficultas.



QVÆSTIO II.

*An Deus creata obiecta secundum se
sumpta omnia vniuersim amet, &
singulatim, etiam, quæ possibilia.*



VÆSTIONIS titulus explicatio-
ne non eget. Dei amorem ad crea-
ta obiecta absolute existentia vel ex-
titura terminari, suppositione po-
tius, quam disputatione dignum est:
Siquidem scriptura sepe id expresse
Plalm. 20. *Vita in voluntate eius,*
& infra, *In voluntate tua præstitisti decori meo vir-
tutem.*

CERTAMEN I.

*Omnia vniuersim, & singulatim,
creata amat Deus.*

1. Præmissa hæc firmantur Plalm. 113. *Omnia quæ-
cunque voluit fecit. Sap. 11. Diligit omnia, quæ
sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, & quomodo
posset aliquid permanere nisi tu voluisses. Ad Ephel. 1.
Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.
Ad Thessal. 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.*
Hæc rerum, personarum autem creaturarum amorem Dei
exprimunt sequentia Plalm. 17. *saluum me fecit quo-
niam voluit me. Hierem. 31. In charitate perpetua dile-
xite. Ioan. 14. Pater meus diligit eum. cap. 16. Ipse Pater
amat vos: & plura alia passim occurrunt: quæ om-
nia, vt patet, de existentibus, vel futuris absolute aperi-
ta sunt: quare de creatorum pro statu absolute existi-
entiæ diuino amore disputationi Theologicæ locum non
relinquunt: maxime, cum pro eo statu nihil contra diui-
num creaturarum, siue personarum amorem à ratione
objici possit.*

2. Inde verò dubium aliud insurgit. An scilicet
Deus omnia velit, sicut omnia scit, & omnia potest?
Nam absolute existentia, vel exitura creata omnia non
sunt: cum omnia quæ intra possibilitatem clauduntur,
nunquam ad absolutam existentiam à peruentura, ex-
clusa, neque vsquam excludenda à creaturis sunt, de
quibus nihil, eorumque diuino Amore in scriptura ha-
betur: item peccata, & opera praua non vult Deus,
quæ tamen scit, ex Patrum, & Theologorum omnium
sententia. Ob quæ S. Thom. 1. part. quæst. 19. a. 3. ad 4.
& 2. 6.

& a. 6. ad 2. & 1. contra Gent. cap. 81. fine. S. Bonavent. in 1. d. 4. f. a. 1. p. 2. ubi Carthus. quæst. 1. colum. penult. Albert. 1. part. quæst. 79. m. 2. a. 1. particula 2. negant Deum omnivolentem esse, sicuti Omnisclus, & Omnipotens est. Aliam huius sententiam addit S. Thomas rationem: quia appetitio rerum secundum se sumptarum ad res, ut in se ipsis sunt, tendit: aut cognoscit in res, ut sunt in cognoscente: est autem in Deo quicquid habet rationem entis, & veri: ac proinde à Deo cognoscitur; non autem id totum existit in rebus: quare, nec res omnes amantur. Et citat. d. 1. ad 6. infert, Deum necessarium omnia scire, quia scibilia omnia habent in Deo necessarium esse, non velle autem necessarium omnia, quæ vult: quia in se ipsis non habent absolutam necessitatem. Contra hanc verò rationem arguit Caietanus: quia secundum possibilitatem, sicut necessarium sunt possibilia, & necessarium sciuntur à Deo; ita & amabilia, ac necessarium à Deo amantur complacentia simplici: secundum statum verò absolute existentie necessarium, nec diliguntur, nec amantur, sed contingenter, quia necessitatem illius existentie absolute non habent. Alias addit rationes S. Thom. inferius attingendas.

3. Hugo Victorinus peculiari libello, & tract. 1. Summe probat Deum æque Omnivolentem, atque Omnipotentem esse: quia quicquid potest vult se posse; etsi non velit esse quicquid potest. Secundò: quia, ut quæ potest, absolute sunt, necesse est, ut ea absolute Deus esse velit: nec aliter potest ea absolute producere, & ponere in suo esse, nisi cum subordinatione potentie sue ad suam voluntatem: ut Dei potentia, conditionata sit potestas producendi, si Deus velit: iuxta illud, *subest tibi, cum volueris posse*. Tertiò: quia de omnibus possibilibus alteram contradictionis partem positum vult Deus: nempe de aliquibus, ut absolute sunt, de aliis, ut non sunt. Quartò: quia etiam de actionibus prout vult Deus quicquid sine deordinatione est, atque absolute absque imperfectione amabile. Hæc approbat Ruiz d. 7. sect. 3. num. 1. Et Sancti Thomæ sententiam cum utraque relata opinione conciliat à numer. 10. concl. 2. æstimans S. Thomæ sententiam esse de voluntate solummodo efficaci, & circa absolute existentia creata solum, non autem circa possibilia, quæ omnia in se bona, & amabilia, nec moraliter de se deordinata & mala (ac subinde absque imperfectione voluntatis, & distaminis intellectus amabilia) Deum simpliciter complacentia prosequi putat. Verum S. Thom. non ita amari à Deo possibilia constanter docuit: ut certamine 2. monstravimus, & eius ratio secunda à Ruiz recitata n. 11. inquit id aperte demonstrat.

4. Denique concludit Ruiz num. 13. conclus. 3. Deum non esse omnivolentem æque, ac est omnipotens, & omnisclus. Probat, quia omnipotentia, & scientia circa sua objecta versantur, quanta possunt plenitudinem versari, secus autem volitio Dei, quæ circa pleraque possibilia nusquam absolute futura tota plenitudine, quæ potest, non versatur: cum non versetur efficaciter, ut potest; circa illa: cæterum, etsi discrimen hoc inter volitionem, & scientiam inveniatur, secus inter volitionem, & omnipotentiam: siquidem non minus omnipotentia, quam volitio, potest circa suum terminum, scilicet possibilia, efficaciter versari; & tamen circa ea omnia, circa quæ volitio efficaciter non versatur, nec versatur ipsa efficaciter: quare nec tota plenitudine qua potest. Et quidem, ut res dilucide hæc, ac sine æquivocatione vlla inter extrema comparationis huius explicetur, de volitione, scientia, & omnipotentia in actu, tam primo, quam secundo consideratis seorsim examinanda, ac definienda erit difficultas præfens.

5. Dico primò: Consideratis in actu primo his tribus, scilicet intellectu, potentia, & voluntate, obiectorum materialium intellectus diuini sphaera amplior absolute, quam potentia, & voluntatis diuinæ sphaera: quarum est omnino æqualis, proportionaliter tamen loquendo tribus hisce æqua sphaera est. Tres partes continet conclusio, facile tamen probandas. Prima de ampliori sphaera obiectorum materialium intellectus diuini probatur: quia extenditur ad mala culpæ, & chimæras, ad quæ, nec Dei omnipotentia, nec voluntas

extenditur: cum ea Deus, nec possit facere, nec velle: etsi intellectu diuino chimæra, & rationis entia possint ut vidimus controuersi compingi. Secunda pars de æqualitate sphaeræ obiectorum materialium omnipotentia, & voluntatis diuinæ probatur: quia quæcumque Deus obiecta materialia extrinseca (de quibus est in præfenti disputatio; nam intrinseca potest velle, quæ facere nequit) potest efficere, potest & velle, nec potest quicquam facere, quod velle non possit; cum essentialiter eius potentia ipsius subordinetur voluntati, sique agentis rationalis, & liberi potentia omnium opinione; atque in nostra verisimiliori, nil aliud omnipotentia, quam Dei voluntas sit. Nec obstat absolutas rerum negationes obiectum materiale voluntatis esse, non autem omnipotentia: in ea quippe nostra opinione falsum est, & repugnans. In omnium verò sententia, quomodo absolute factibiles negationes sunt, nempe per actionis suspensionem, ab omnipotentia esse possunt. Tertia pars probatur: quia sicut, quicquid obiectum verum, & cognoscibile est, ita quicquid obiectum le, & bonum, & amabile est, fieri, & amari à Deo potest, siue liberè, siue necessariorum. Quare conclusio hæc non pender à bonitate, & amabilitate obiecta, vel eius defectu possibilibus qua talibus vel aliis quibuscumque obiectis.

6. Dico secundò, comparatis his tribus in actu secundo, scientia, actio, & volitione exercitè sumptis, sphaera obiectorum materialium scientiæ non solum absolute, sed & proportionaliter loquendo multo amplior adhuc est, quam sphaera duarum reliquarum. Prima pars quoad maiorem absolute amplitudinem scientiæ, & Sanctorum Thomæ, & Bonaventuræ, ac reliquorum primæ sententiæ, probatur facile: quia Deus scibilia omnia in actu secundo, & exercitè scit, quæ multo plura sunt, quam à Deo amabilia, & factibilia, ut vidimus. Quod autem ea omnia Deus actu & exercitè sciat, probatum abundè à nobis est controu. 2. atque à Sancto Thomæ proxime ratione secunda: quia posse non intelligere, seu ignorare aliquid secundum se scibile, imperfectio intellectus, seu intellectus est: quæ summè ac perfectissimè intellectus Deus determinat in actu primo est ad necessariam scibilibus, & rerum omnium cognitionem: secus autem perfectè potentis, scilicet liberi in volendo, & operando: amoris scilicet, & operationis suæ Domini actualis obiecti volitio, & operatio. Quoad maiorem autem, ad huc proportionaliter, sphaeræ obiectorum scientiæ amplitudinem, etsi non expressè, eorumdem Doctorum, vim tamen, & implicite, & eorum, & plurium quos recitabimus certam. Scientia est: Quia, ut non esse amplior exercitè proportionaliter sphaera scientiæ, operaret, ut ad omnia amabilia, & bona obiecta Dei volitio extenderetur exercitè: sicuti Dei scientia ad omnia vera, & scibilia exercitè extenditur. Non autem ad omnia bona, & amabilia obiecta extrinseca Dei volitio, nedum omnipotentia operatio, exercitè se extendit: ergo scientiæ sphaera, adhuc proportionaliter amplior est, quam sphaera voluntatis, & omnipotentia in actu secundo sphaeræ operationis, & volitionis exercitè sumptæ erga sua objecta.

7. Minor (quæ sola probationem desiderat) probatur, quia, etsi possibilia, qua talia, bona sunt, ut aduersariæ sententiæ Doctores volunt: ea tamen, quæ possibilia præcisè non amaret Deus, ut decursu quætionis constabit: immò verò, neque creata absolute scientia, vel futura, si ea absque libera Dei voluntate, & esse in rebus possent, & fierent, & præcisè absolute bonitate, quam haberent, à Deo amari minime inferretur: quia creata bonitas limitata, neque ab imperfectione prorsus immunita est, nec nostram quidem, æquid diuinam voluntatem summe perfectam in sui amorem necessariorum aptam: proinde Dei erga creata absolute existentia amor aliter ex eorum indigentia, ut sint, non autem ex vi, & motione irresistibili à diuina voluntate, ut amantur, quia bona sunt: quam rationem attigit Sanctus Thomas citato argumento 4. licet Dei exercitè erga creata amorem, non ad eum perficiendum, sicut scientia eius tendit: sed potius ad creata ipsa perficienda tendere: quod ipsi necessarium

non est: cuius rationem aliam, & à priori adhibet Sanctus Thomas supra ex diuine voluntatis perfectissima libertate: etenim, etsi possit aliquid scibile non scire, seu ignorare intellectus facultatis non virtus, potentia, aut perfectio sit, sed imperfectio potius, & potentia defectus; aut possit non amare ea, quæ necessaria ad finem, siue aut siue non sunt, maxima perfectio, & potestas voluntatis est: nempe eius libertas & ad virtutis potestas: at creata necessaria non sunt ad finem eius, nempe Deum, quem solum Deus necessario amat: ergo possit illa non amare maxima perfectio diuine voluntatis est.

8. Dixi autem de volitione diuina exercitè se erga creata habent, & ita considerata: considerata enim secundum se totam non minus amplum, magis angustum obiectum materiale extrinsecum habet, quam diuina voluntas: sicut enim hæc est, secundum intrinsecum considerata omnis boni, & amabilis ex parte obiecti voluntas, facultasque ad id totum amandum, ita, & Dei volitio in actu secundo infinita, & omnivolitio formalis, & in actu secundo est, ob rationes easdem, quæ Dei scientiam è conceptu, & essentia sua metaphysica indubitanter infinitam è genere suo, & omniscientiam est ostendimus semel controu. 2. & valuerim de omni prædicato diuino controu. 1. cum autem exercitè erga creata addimus, liberum eiusdemmet formalis volitionis physice & metaphysice innatæ erga creata exercitum significamus, quod erga aliqua solummodo est, non erga creata bona, & obiectiue amabilia omnia. Etsi autem mysterium viatorum omnium caprum superans de decreti diuini libertate contineat, inferius pro nostro modalio explicandum: ostenditur tamen (quod præsentis loci est) volitionis diuine exercitæ erga creata sumptis sphaeram obiectiuam, etiam proportionaliter sphaera scientiæ diuine obiectiua esse angustior; secus autem, si volitio tota sua latitudine sine eo addito viueretur: sic enim omnivolitio est, sicuti & est omniscientia illa.

9. De voluntate verò, & omnipotentia in actu secundo sive pro volitione, & operatione sumptis, dicendum vltimo in hac difficultate est: tam absolute, quam exercitè erga creata Dei volitione accepta sphaeram obiectiuam amplioris sphaera omnipotentia habere. Absolutè enim omnivolitio est, ac proinde æquam cum omnipotentia sphaeram obiectiuam habet: cum tamen omnipotentia actus secundus, siue operatio circa absolute existentia, vel creatura aut præterita (quæ minor longe possibilitatum pars est solummodo sit) de volitione exercitæ erga creata obiecta adhuc sumptis probatur etiam facile: quia Dei volitio non solum circa creata, quæ aliquando absolute fuerint, sunt, vel erunt, (vltia quæ potentia non se extendit operatio) libere efficaciter extenditur; sed etiam circa existentiam eorum, quæ absolute, nec sunt, nec fuerint, nec erunt inefficaci desiderio libere se exercet.

10. Dicendum tandem est: omnia etiam viliissimaque Deus facit, immò plura aliaque non fecit, diligit tamen, (vt ex memorato nuper desiderio eius inefficaci constat) secundum aromas ipsorum differentias amat. Hoc probatum est in simili de scientia controu. 2. disput. 4. q. 2. & certum, contra aliquorum errores recitatos certam. 1. ubi ab eis aliquos Doctores præsertim Hieronymum vindicauimus. Obiectioni autem, quod ex obiectorum vilitate diuina scientia, seu volitio vilesceret ratione, exemplo radiorum solarium stercorea lustrantium confirmata cum Nemefio occurrimus. Quoad volitionem autem occurrit Augustinus recitatus, certam. 2. numer. 5. Iam, Occurrentesque plura Patrum testimonia recitanda occurrit similem errorem in Dei providentia controu. 6. d. 1. Probabantque testimonia alia scripturæ, & Patrum præsertim de volitione Dei erga viliissima quæque singulorum conclusionem, quam probant, recitata omnia ex scriptura num. 1. ac frequens illud Gen. *vidit enim quæ fecerat, & erat valde bona*, scientia vtrique approbationis: quæ Dei de reprobis, cunctisque à se factis complacentiam inuoluit: & alia sexcenta. Rationes Theologicæ eadem sunt, quæ pro eorundem scientia dedimus et omniscientia Dei, & veritate obiectiua rerum pro

Christoph. de Ortega, de Deo Vno, Tomus II.

omni volitione, & bonitate obiectiua entitatiua omnium rerum etiam viliissimarum, in singulari etiam probant. Adde pro vtriusque minus longe distare viliissima à perfectioribus creatis, quam hæc à purissima bonitate, ac perfectione sine imperfectione diuina: & tamen per aduersarios absque sue perfectionis detrimento, & iactura ad creata perfectiora Dei volitio (idemque de scientia est) descendit: ergo, & inde ad viliora creata ab imperfectione immunis descendet: etenim creata bonitas, & perfectio, quantumvis magna, immò maxima, ab imperfectione excoquibilibis, ac suppurabilis non est, quam essentia sua creata bonitas, & perfectio imbibit: quare, si ab imperfectione obiecti bonitatis creata in Dei volitionem imperfectior effunderetur, à perfectioribus etiam creaturis imperfectionem Dei volitio repugnantem participaret: si autem ab eis non participat; neque participabit à viliissimis, quarum minus imperfectionis comparatione perfectissime creatura est, quam sit in hac comparatione Dei.

CERTAMEN II.

De amore creatorum possibilium, quæ
talium, diuino, sententiæ
Doctorem.

1. Quæ hæcenus ex scriptura adducta pro diuino creatorum amore sunt, & plura, quæ ex scriptura, & Patribus asseri possent, de absolute existentibus, & comparatione æternitatis exitibus expresse loquuntur. Quare quæstioni de amore seu volitione Dei erga creata pro aliqua differentia temporis absolute existentia ab authoritate locus non est: Immo verò neque à ratione locus quæstioni relinquatur, cum absolute existentia creata bonitatem, sicuti, & entitatem absolute habere, quare & absolute amari à Deo posse, citra dubium sit: ac de facto à Deo, non vtrunque, sed efficaciter volita, amataque esse (si libertas nostras operationes excipias) tam certum sit, atque, à Dei potentia per liberum de eis efficiendis decretam condita fuisse indubitatum est: solum ergo Catholicis sub lite duo esse possunt. Au ea secundum statum coram reliquos possibilitatis, ac futuritionis conditionatæ abstrahentes ab eorum absolute existentia Deus amet, ac velit? Horum vtrumvis tor habet pro alterutra, affirmante, & negante parte fundamenta, & Patronos, vt seorsim examinanda methodo, & claritatis gratia merito videantur: & de statu possibilitatis, titulo prioritatis maioris vniuersalitatis, quam dicunt, habetque rerum possibilitas, respectu futuritionis earundem conditionatæ, primo.

2. Prima in hac difficultate sententia asserit Deum amare creata, etiam secundum statum possibilitatis inspecta: ea tamen, non vna apud eius Patronos est. Eorum enim aliqui docent possibilita, quæ talia, libere à Deo secundum eum præcisè statum amari: quare non amari omnia, in horum adhuc sententia probabilius est: siquidem, quæ necessariò non amantur, amari omnia absque fundamento probabili dicitur: id quod apertius constabit ex infra dicendis de defectu fundamenti, vt libere amentur aliqua secundum eum statum; etsi secundum illum bona, & absolute ex parte obiecti amabilia fiat, in quo cum alterius modi Doctores conveniunt: ita plures Recentiores Scoticos, & Thomistas pauciores hanc sententiam de amore Dei erga possibilita præcisè defendentes audiui. Ex antiquis Scholasticis pro hac sententia (quæ longe quam iam subicienda probabilior à ratione nobis videtur) neminem ferè, citarum adhuc, inueni: etsi qui pro nostra negatiua sententia referuntur à cursim legentibus, nec contextum totum attendentibus possint referri: vt è germanæ eorum sententiæ relatione nostra clarebit: vni ex antiquis Scotis, pro hoc censendi modo stare mihi visus est collatis inter se locis ex eo citandis

C num. 3.

num. 3. & 4. & fors Bannez, Zúmel, & Molina, qui solum amorem necessarium Dei erga creaturas absolute negant; non autem liberum erga possibilia, et cum non assentiant, sed disputationem de illo omittant. Ceterum principale eorum omnium Doctorum fundamentum ex perfectione libertatis diuinae; ad consequenda obiecta bonitatis limitate creatae, adhuc ex suppositione, quod possibilia, qua talia praecise bona, & amabilia à Deo absolute essent, hanc ipsam sententiam placitum, si in ea hypothese disputassent, dubium mihi non est.

3. Alter modus defendendi Deum possibilia creata, qua talia praecise amare, necessaria nimirum de eorum praecise possibilitate complacentia est: non fecus, ac infinita sua omniscentia possibilia eadem necessario cognoscit: ita sentire videtur tandem Henricus 2. p. sum. art. 47. quest. 3. corp. & quodlib. 2. quest. 3. Scotus clarus in 3. d. 32. quest. vnica init. Richardus in 1. d. 45. art. 1. quest. 4. & 7. Dionys. Carth. eadem d. quest. 1. sub finem. Aureolus d. 46. art. 2. prop. 2. & 3. & d. 40. art. 1. prop. 1. & 2. Fonseca 7. Metaph. cap. 8. quest. 4. sect. 5. & q. 5. sectio 4. Vazq. d. 79. capite 2. Arrubal. d. 53. capite 2. Herize d. 18. de volunt. cap. 1. Ruiz de Montoya d. 6. de volunt. sectione 2. à num. 10. & sectione 3. multo sententiam hanc rationum, & discursum momento fundans, & protegens: citari verò, non sine fundamento, pro eadem Soarium nostrum ait, et ambigue aliquando loquatur; sed certe adeo est pro negatiua sententia apertus, vt de eius mente dubitari merito nequeat: expresse autem ubi magis praesenti opinioni videtur fauere gaudium de sola omnipotentia sua actuali Deo concedit; neque de possibilibus (qua ipsa in huius sententia essentialiter transcendentaliter actuali omnipotentia continentur) secundum se sumptis vsquam Deo complacentiam concedit; sed solum, quatenus eminenter in actuali Dei de sua omnipotentia complacentia continentur: quod solum est Dei actuale omnipotentiam ab ipso amari.

4. Tertia vtrique relata vniuersim aduersa sententia docet Deum creata possibilia praecise qua talia, siue secundum statum possibilitatis praecise nullatenus amare; sed ea solummodo velle: quae pro aliqua differentia temporis absolute existunt: eaque non amari à Deo necessario, sed libere, sicut libere eis existentia ab ipso consistunt: ita censent Magister in 3. d. 32. sub initio Albertus, prima parte quest. 79. m. 2. art. 1. partic. 2. quem eius lectatur Discipulus Sanctus Thomas, 1. part. quaestione 19. articulo tertio, corpore & ad 6. ubi Valentia d. 1. pun. 2. & 3. Bañes, Zúmel, & Molina ad quest. 34. artic. 3. & alij Sancti Thomae Expositores & ad eandem quaestionem 19. & 20. referuntur pro eadem sententia, quatenus Spiritum Sanctum ex creaturarum amore negant procedere, quia carum amor necessarius Deo non est; sed prorsus liber. Quo fundamento, Scotus etiam posset pro eadem sententia referri in 1. distinct. 32. quest. 2. ad vltim. qui tamen pro ea non est; vt vidimus numero tertio. Potest enim Dei amor erga possibilia non necessarius asserti ab his Doctoribus; sed liber, iuxta affirmantis sententiae primum, & rationabiliorem modum. Quare non certa fide tres hi Doctores pro hac vniuersim negatiua sententia referuntur.

5. In eadem sententia persistere videtur Sanct. Thom. 1. cont. Gent. capite 81. probans hic Deum non diligere omnia, quae scit & citata quest. 20. artic. 2. Deum diligere omnia, quae sunt: ubi, licet negatiuum de amore, possibilibus praecise, non posuerit, ac proinde noster Ruiz ipsum de efficaci voluntate locutum solummodo interpretetur d. 6. citata sect. 5. num. 10. tamen, si eius ratio tam ibi, quam quest. 19. art. 6. ad 2. & artic. 3. ad 6. ab eodem Ruiz relata eadem sectione, numero septimo, & qua discrimen inter actum intellectus quod tendit in obiectum secundum quod est in cognoscente, & actum voluntatis, quod tendit in obiectum secundum quod in se est, aperte erga omne, quod in se actu non est, esse actu desideratum amorem omnium Dei excludit: eandemque doctrinam tradiderat tota q. 7. & 6. corp. ubi soli Deo, non autem creaturis, competere per essentiam suam bonitatem probat: quia

nec per suam essentiam competit illis esse (nempe actu) quod prima, & fundamentalis rerum bonitas est. Idcirco pro negatiua vniuersim amoris Dei erga possibilia, qua talia, ipsum interpretatur, & sequitur Ferrar ad citatum locum 1. contra Gent. cap. 81. lib. 4. cap. 13. §. dicitur: eidem sententiae adherent Alex. Aleq. 1. p. quest. 31. m. 1. post med. q. 34. m. 3. & 4. ac eius Discipulus Sanctus Bonauentura in 1. d. 45. art. 1. quest. 2. in 3. d. 32. artic. 1. q. 1. ad argumenta. Richardus ibi art. 1. q. 2. ac fufius Gabriel ibi q. vnica. artic. 1. notab. 1. & artic. 2. conclus. 2. est post complacentiam (quam amorem esse negat) erga possibilia videatur admittit: denique pro ea stat Soarius d. 30. metaph. section. 16. à numero 39. & prima parte, libro 11. cap. 2. siue ac 3. de attribut. cap. 6.

CERTAMEN III.

Tertia negatiua vniuersim Amoris diuini erga possibilia sententia, explicatus, temperatiuque, variis conclusionibus propostae, eligitur.

1. **S**i prima conclusio. Possibilia creata, qua possibilia, siue praecise secundum statum possibilitatis Deus necessario non amat. Hac conclusio est Doctorum omnium prima, & tertiae sententiae: etque independentis ab eo, quod possibilia habeant, vel non habeant sufficientem bonitatem obiectiuam, vt à Deo amari possent. Est enim possibilia, praecise, qui talia sufficientem bonitatem obiectiuam habeant vt actum terminent sui amorem (vt prima sententia admittit), quae nunc permittimus liberum solum Dei erga ipsa esse posse amorem asserimus. Atque in hunc modum ratione Sancti Thomae & Sancti Bonauenturae ratione pra num. 2. siue, probamus. Determinatio potius de se libera; & necessitas in actu primo ad amorem illius obiecti debet ex altero à duobus provenire: vel ex summa, & infinita simpliciter bonitate, & perfectione obiecti amandi, (qualis solius Dei bonitas est, & quae creatis repugnat) vel ex affectu aliquo antecedenti illius obiecti, quod actu determinat ad amorem aliter: sed nullius obiecti est in Deo antecedens amor: pro priori signo ad creaturarum amorem, ex quo ad ipsas, est sufficienter obiectiue bonas, amandas, actus vel quasi actus Dei voluntas determinatur: ergo nullus Dei voluntas determinata, seu necessitata antecedens ter est ad illam: adhuc qua possibilia amorem ac libere inde non amantur necessario à Deo; sed ad summam cum potestate antecedenti ad ipsas amandas, vel non amandas.

2. Concludit discursus, si minoris partem extremam probemus: cui proinde probande tertiae sententiae DD. incumbunt, quia amor Dei creaturarum, adhuc possibilibus amorem precedens solum est amor Dei erga ipsum: sed ex hoc ad amandas creaturas determinatus, ac necessitatus, neque est neque intelligitur Deus ad illas vel quasi actus. Primo à prioris quia, tam diuina bonitas, quam eius amor independentes à creaturarum etiam possibilibus bonitate, & amore prorsus sunt; ita, vt si tam possibilibus quam illarum amor exerceat erga illa sumptis repugnent, diuina bonitas, & Deique erga illam amor non modo non repugnent, sed actu conferrent: vt erga controuersia prima, independentiam cuiusque praecati diuini à creaturis, adhuc possibilibus, ostendentes probauimus. Confirmatur: quia Angelus, & Beati reliqui, & si minus independentes à creaturis, quam Deus, sunt, atque à Dei bonitate infinita in ipsos amorem necessario rapiantur; tamen, nec inde ad amorem illum creaturarum Dei amore determinantur, siue ex necessitate rapiuntur; sed libere illas adhuc vt possibiles amant; quidquid repugnet Ruiz, cuius exactiones, qua

ab oppositionibus contra hanc conclusionem nihilo differunt, cum his satisfaciamus, certamine præcludimus.

3. Sit secunda conclusio: Deus non amat, adhuc libere, creaturas possibles secundum statum suæ præcise possibilitatis: est Doctorum tertia sententia, & contra Doctores sententia primæ, ex duplici autem hac nostra conclusione constat, Deum possibilem, qua talia, nullatenus amare, ut docet, & acutè docuit Aureolus citandus d. 4. quæst. 1. certam. 1. num. 1. quam vniuersum ibi certam. 2. num. 1. vltius confirmabimus. Probatur: quia secundum eum statum præcise possibilitatis, nullam bonitatem absolute talem habent, neque obiectum amabilitatem stantem in ipsa ergo neque creatura possibilem, qua talia, siue secundum præcise sui possibilitatem à Deo amari: ergo nec libere amari. Patet postrema conclusio: quidquid enim esse, fierique non potest, esse, fierique libere non potest. Prima conclusio est etiam perspicua: quia id solum amari absolute potest, quod bonum, & amabile obiectum absolute est, quare quod tale absolute non est, amari absolute nequit. Antecedens probatur: quia possibilia creata secundum præcise sui possibilitatem, siue, qua possibilia, absolute non sunt; ergo nec absolute habent bonitatem. Probatur antecedens: siquidem possibilitas rerum necessarie est veritatis; esse verò absolute contingentis. Secundò; quia alias creata per essentiam absolute essent, quod, & scripturæ, & rationi, & experientie repugnat: consequentia verò est legitima: quia bonitas rerum ad convenientiam, cum eorum esse dicitur, atque in esse ipsius completo physice, vel metaphysice formaliter, ab altero genere consistit: quare implicat aliquid absolute bonum esse, atque in se absolute non esse.

4. Respondet Ruiz citata d. 5. sect. 3. à num. 3. ex dictis sect. 2. à num. etiam 3. creaturae possibili, præcise qua possibilibus, conuenire absolute bonitatem, non quidem absolutam (qua absque actuali absolute existentia eorum rebus non competit in Aristot. 5. Thom. & reliquorum sententia) sed bonitatem secundum quid; quæ in eo stat, ut rerum essentia perfecta sit, atque, si res ita, ut possibilibus cogitur, existat & producat, perfecta, ac bona producat, & sit. Contra tamen est: quia omnis bonitas rei conuertitur cum esse ipsius, imò, & est ipsum esse eius; ergo omnis bonitas absolute talis cum esse rei absolute tali, vel conuertitur saltem, vel identificatur: ergo bonitas absolute rei absolute tali cum esse rei absolute absolute tali, & bonitas rei secundum quid absolute talis conuertitur saltem, vel identificatur, cum esse rei absolute secundum quid: Atqui possibilia, qua possibilia præcise, neque absolutum, siue completum esse, neque esse incompletum, & secundum quid absolute habent: ergo neque absolutam bonitatem, neque secundum quid absolute habent. Quare ea distinctio bonitatis absolute talis, vel absolute, vel secundum quid tam physice, quam metaphysice, locum in absolute existentibus solummodo habet: ut completa existentia, siue physice, siue metaphysice absolutam bonitatem absolute habeant; incompleta verò existentia, siue physice, ut partes physice, siue metaphysice, ut partes metaphysice, quæ entis, seu esse prædicatum transcedunt, bonitatem secundum quid absolute habeant.

5. Minor discursus huius probatur, & confirmatur impugnatio ex doctrina ipsa solutionis: etenim possibilia, qua talia, neque secundum quid, neque secundum esse absolutum sui, habere absolute esse indubitatum omnibus est: quia esse rerum pro statu possibilitatis præcise tantum, est esse in potentia logica, seu posse esse, seu cum addito possibiliter, quod esse absolute tale rei, siue completum, siue incompletum, & secundum quid minime claudit; sed præcise excludit. Confirmatur argumentum nostrum, atque impugnatio solutio ex ipsius ratione, & explicatione subiuncta: quia bonitas hæc possibilem, qua talium, nihil aliud per se est præter eorum essentiam perfectam: hoc est, eorum prædicata sibi mutuo non repugnantia, sed conuenientia inter se, seu posse conuenienter esse actualem absque actuali repugnantia & contradictione habere; id autem non est illud esse identicum absque conuenientia vltimus absolute habere, sed illud posse

Christoph. de Ortega, de Deo Vno, Tomus II.

fer tantummodo habere: ergo possibilia, qua talia, non habent actu, & absolute bonitatem, sed habere solummodo possunt: id quod ex vltima tua explicatio- ne bonitatis huius magis claret: quod nimirum, si possibile absolute producat, & sit perfectum, & bonum, produceretur, & erit: in quo rei possibile bonitas solum conditionata, & sub conditione absolute existentia, & productionis suæ designatur; non autem bonitas eius actu, & absolute talis, quod solum nostri argumenti antecedens fuit: ex cuius consistentia intentum conclusionis huius secundæ satis euincitur.

6. Probatur vltimus conclusio: quia possibilia, qua possibilia præcise nulla amoris, aut affectus specie à Deo amari possunt: ergo, nec, qua possibilia, amari actu, & absolute possunt: consequentia est legitima: si enim amari à Deo actu, & absolute possunt aliqua amoris, vel affectus specie, immò indiuiduatione, amari possunt: cum prædicatum genericum ab speciebus, & indiuiduis omnibus prædicum dari, ponique rebus repugnet. Antecedens probatur: quia nequeunt possibilia, qua talia præcise, amari à Deo amore complacentia, seu gaudij (ut plerique, & plerumque aduersarij censent) nec amore desiderij, ultra quas nulla species amoris est; ergo possibilia, qua talia præcise, nulla amoris specie amari à Deo possunt. Antecedens, quo ad primam partem, probatur primò. Quia complacentia, & gaudium essentia sua est de actuali, & præcise bono: possibilia verò, præcise, qua possibilia, bona actualia, ac de præcise pro vlla temporis differentia non sunt. Secundò probatur inde: quia bona, quæ terminare amorem gaudij, aut complacentia possunt, vltius sui desiderium excludunt; aut possibilia bona, qua possibilia, vltius sui desiderium non excludunt: cum existentia actualis eorum desiderium dari possit, ac sæpe in Deo detur.

7. Secundam antecedentis partem probò: quia desiderium solum esse potest de boni statu ad eiusmodi desiderium non supposito, sed à desiderante per se, vel per alium ponibili, & assequibili. Status autem possibilitatis præcise rerum supponitur ad omnem affectum diuinum; nec à Deo per se, vel per alium ponibilis, & assequibilis est: ergo nequit esse Dei desiderium erga statum possibilitatis præcise rerum. Nihil respondere potest probationi partis primæ, quod non sit ex dictis proximè dissectum: & instantia etiam, quæ contra nos fieri posset ex amore stricto distincto à desiderio, & gaudio strictè dictis, non solum respectu Dei, sed obiecti cuiusvis ostenditur impossibilis, relicturque fusè d. 4. quæstione prima, certamine primo. Quod autem respondere contendit Ruiz sectione tertia, numero vndecimo, ex dictis sect. 1. numero tertio, de conditionata volitione, siue desiderio Dei: in primis in ipsa possibilitate non fisteret sed in conditionatam tenderet existentiam: ac insuper ficta volitio est, & implicatoria, si existentiam rei, ultra possibilitatem, respiciat, est conditionate verbotenus explicata, ut constat ex dictis & statim dicendis, numero 8. Mitto probationem aliam ex diuersitate tendentiæ intellectus in verum, & voluntatis in bonum supra ex Sancto Thoma memoratam, atque ex Aristotele desumptam: eam quippe commodius, & oportunius adducemus certamine quarto, dum paritatis ex sententia ad amorem diuinum obicienda faciemus satis.

8. Sit tertia conclusio: Deus non solum possibilia creata absolute existentia pro aliqua temporis differentia; sed etiam pro nulla temporis differentia absolute extitit vult, & amat verò, & serio desiderio libero existentia ipsorum; non autem possibilitatis præcise, ut nunc ostendebamus. Conclusio, quoad affirmatiuum, quod additur, est contra Doctores tertiæ sententiæ, qui erga solum, & absolutam rerum existentiam amorem Dei admittere videntur: Si tamen mens eorum ex probationibus attendatur, ipsis aduersa non est, neque vllatenus primæ, & secundæ sententiæ fauet: cum amor hic in sola rerum possibilitate non sistat, sed in eorum existentiam tendat. Est autem conclusio hæc fidei proxima, cum 1. Timot. c. 2. dicatur: Omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ubi seruum Dei, nec perfunctorium

C 2 solum

solum existentia salutis, & fidei omnium hominum desiderium exprimitur: cum tamen plurimum hominum, & salus, & fides pro nulla temporis differentia sint absolute extitisse, ut fufius ostendimus, d. 4. quæst. 1. à certam. 2. Quod autem liberum eiusmodi desiderium sit, patet: quia nullius rei existentiam absolutam Deus necessario vult, siue efficaci, siue inefficaci amat cunctis fatentibus: tum etiam quia nihil est ante existentiam absolutam rerum, quod Deum eius desiderium cogat concipere.

CERTAMEN IV.

Aduersis fundamentis occurritur.

1. **O**biicies primo: possibilis, qua talia præcisè, sufficienter obiectum veritatem habent, ut Dei scientiam actualem terminent: ergo, & bonitatem, ut Dei terminent amorem. Hac contra conclusionem secundam præcisè, contra eam tamen, & primam simul è scientie eiusmodi paritate argues. Scientia diuina, quia omnis scientia & infinita simpliciter, & comprehensiuè primarij sui obiecti Dei est, necessario ad omnia possibilia, qua talia terminantur: sed Dei amor omniamor (ut sic loquar) infinitus simpliciter, & comprehensiuè affectuè Dei obiecti sui primarij æque etiam est: ergo non solum ad possibilia omnia, qua possibilia præcisè, terminari poterit, sed æque necessario, atque diuina scientia terminabitur, coniuncti omnia, quæ à paritate diuine scientiæ opponi possunt contra nos, multatariam quæ à nostro Ruiz proponuntur, ut simul semelque eorum debitatem ostendam.

2. Ad primum, quod secundam nostram conclusionem oppugnat, respondeo, negando consequentiam ob discrimen inter verum, quod ad intellectum spectat, & bonum, quod ad voluntatem traditum ab Aristotele 6. Metaph. text. 8. ubi Philoſophi reliqui, & Sanctus Thomas eiusque interpretes 1. part. quæst. 7. art. 3. & locis, quæ ad rem eandem supra certam. 1. num. 5. retulimus. Nempe, quod verum in intellectu sit, bonum verò in rebus: constat autem experientia intellectum circa ea, quæ ab existentia abstrahunt, quorumque existentia repugnat, actibus veris versari ac proinde in eis veritatem obiectiuam esse. Voluntatem verò, vel gaudij, & complacentiæ, vel desiderij solummodo posse circa sua obiecta versari: quorum primam existentiam absolutam, siue esse actualem rerum supponat; secundum verò in illam tendat, ac velit; non autem in possibilitate præcisè earum subsistere: fit inde ut in rerum possibilitate bonitas obiectiuæ ad actualem amorem non sit: etsi ad intellectum sit in rerum essentia, & præcisè possibilitate satis veritas obiectiuæ.

3. Hinc constat secundum illud, quod primam conclusionem impugnabat paritatem non habere: cum sit à scientia, cuius obiectiuæ veritas sufficienter consistit, ad amorem ex defectu bonitatis obiectiuæ rerum pro statu præcisè possibilitatis, omnino impossibile, neque necessarium; sed permissa sufficienti bonitate obiectiuæ rerum, qua præcisè possibilitatem, negatur facile aliunde paritas: etsi enim Dei amor infinitus simpliciter è genere suo, & de se se omniamor formalis, & comprehensiuus Dei affectus sit, sicuti, & diuina scientia est: hæc libera formaliter proxime de se se neque est; neque in suæ lineæ perfectione talis esse debet: immo nec potest. Nam intellectus potentia indifferens, atque à se ipsa formaliter determinabilis ad alterutrum extremum cognoscendi obiecta extrinseca nusquam est; sed solum ab obiectis. Quare, si hæc necessariæ obiectiuæ veritatis fiat, nequit non ea repræsentare; ne dum illis exercite necessario in cogitis comprehendere.

4. Cum autem volitua potentia diuina perfectissima sit, atque ad voluntatis perfectionem libertas circa obiecta infinita sua bonitate simpliciter tali ad sui amorem non rapientia, aut cogenita pertineat, (ut creata,

& limitata nulla bonitas cogit) ac subinde ad amoris perfectionem erga limitatam, nec summè, & infinita simpliciter bona (nempe creata) libertas exercita, & in actu secundo omnino spectet, sit, ut liberè erga creatam quamvis bonitatem possit, ac debeat exerceri, latitque habeat, ut omniamor, & affectus Dei comprehensio, (si proprie ea locutio ad voluntatis affectum accommodetur) sit, ex eo, quod è Deo obiecto suo primario, & adæquato specificatio formalis de se se omnium creatorum (pro quouis statu amabilia illa sint) amor sit atque absque ulla sui variatione, vel additione, adhuc formalis, & metaphysica liberè erga creata bona exercite extendatur: quemadmodum scientia absque ulla formali, & metaphysica additione, & variatione (quia suæ lineæ perfectio libertatis formalis proxima, & immediata non est) ad omnia creata vera se extendit necessario.

5. Oppones contra solutionem, & eandem primam conclusionem: Bonitas absolute existentis creature creata, & limitata est, & tamen Deus in illa necessario complacet, iuxta illud Genes. *Vidit Deus quod esset bonum*, & rursus, *vidit cuncta, quæ fecerat, & erat valde bona*. Respondeo primò: his locis complacentiam diuinam de absolute à Deo factis, & existentibus eundem, non autem eius complacentiam necessitatem verbis hæc contineri: nec probare eam necessitatem præcisè ex bonitate obiectiuæ limitatæ creature, cuiusque intentionali motione provenire, sed ab actiua necessitate voluntatis efficacis Dei, quæ creata illa facta sunt, atque necessario ad eorum absolutam existentiam supponitur. Null enim mirum est, si de eis limitatis & creatis bonis à se factis (quæ tamen efficaciter esse voluit) necessario complacet, efficaci sua antecedente voluntate, non autem bonitate limitatæ ipsorum determinatis, & adiectis; quæ sane determinatio, & adactio ad complacentiam de possibilitate bonitatis admittit esse neque eorum possibilitatis voluntate aliqua, neque efficaci Dei, neque egrat, nec sit.

6. Obiicies contra eandem solutionem, & conclusionem primam: Malitia entitativa, & physica impossibilium, & chimerarum nec identificantur cum Deo, neque infinita simpliciter in suo genere est; & tamen Dei dispendia necessaria est erga impossibilia, & chimeras: ergo, etsi limitata sit creata bonitas, nec simpliciter infinita, non excluditur inde diuine de illa complacentiæ necessitas. Respondeo distinguendo antecedens: necessaria est Deo dispendia negatiua de chimeris, & impossibilibus, id est negatio complacentiæ de illis facere: quia nihil habent bonitatis physice, sed puram eius generis malitiam, & omnimodam bonitatis physice, sicuti & entitatis repugnantiam; est necessaria dispendia Dei de illis positiua exercite asfiteor.

7. At inquires erga malitiam moralem prauam actionum creatorum (quæ infinita simpliciter non est) est necessaria dispendia Dei, ac circa bonitatem moralem actionum nostrorum, limitatam etiam, complacentiam, & ob gratiam, & iustitiam, limitatam vitiis rationalis creature necessaria est in Deo amicitia dispendio. Ergo ex limitatione bonitatis admittit in creaturis possibilibus male excluditur diuina complacentiæ necessitas. Respondeatur: hæc omnia ex præcisè sua bonitate, aut malitia obiectiuæ limitatæ, & motione sua intentionali nullatenus necessitatem, aut complacentiam aut dispendia diuinæ inducere; sed ex perfectione, voluntateve aliqua diuina qua velut actiue ad alterutrum determinatur, quæque, ni ita se gereret, deliceret; nempe, ad odio habendum peccatorum ex morali sua infinita bonitate, ipsi malitiæ morali prorsus aduersa, & auersa; atque item è supremi Iudicis nostrorum actionum, atque inde etiam ad complacendum prosequendumque amore omne actionum nostrorum honestatem, ex quo munere nequit erga alterutrum præ omnihius ipsius voluntas se habere.

8. Accedit pro complacentia necessaria Dei de actibus honestis creatis, quod cum omnes adeo principalius nobis prouinciant, cuiusque scilicet (quantum ad trij nostri libertas pari potest) voluntate, & quantitas

ex parte Dei est, atque ad ipsum in illis attinet, efficiaci, ex ea etiam ad eorum absolute existentium complacentiam eiusmodi anteriori voluntate eas apponendi quasi actus determinatur; quod ipsum de dilectione amicitiae diuinae erga iustum, in quo Deus voluntate sua efficiaci, gratiam, & iustitiam habitalem posuit, etque inde ad eum diligendum quasi actus determinatus permanet, ut in simili dicebamus numero 5. Ceterum cum erga pure possibilis adhuc moralia pro eo statu nihil voluntate sua efficiaci ponit, ex qua ad eorum pro eo statu amore determinetur: neque eorum bonitas de se in sui amorem rapere potest, immo sic nulla absolute talis in eis pro eo statu bonitas, vel malitia; Cum ius vero possibilis solum physice bonis, pro eo etiam (ut modo permittimus) statu, nihil intentionaliter motuum inexcitabiliter ex parte illorum, nullumque aliud attributum quasi actus determinans ad ipsorum amorem est ex parte Dei, sed nuda Dei voluntas de se (ut diximus) & periectione in sua linea indifferens libere solum erga illa verfabitur, nec poterit necessario veritari.

9. Contra secundam conclusionem opponens. Impossibilia sufficientem malitiam pro eo suo statu habent, ut tolli haberi à Deo saltem possint; ergo, & possibilia pro eo suo statu sufficientem bonitatem habebunt, ut de illis complacere Deus saltem possit: neque enim absolute, actualioremque statum bonitas ad amorem, quam malitia ad odium de ipsa, vel ob ipsam concipiendum requirit. Apparentissima, ad communem de impossibilibus, & chimeris apprehensionem, obiectio. Et tamen respondeo facillime negando consequentiam ex dictis contrariis, d. q. q. certum, de scientia Dei erga impossibilia: constat enim essentialiter impossibilitatis conceptum in negatione ipsius à se, ac non ab alio, absolute consistere, siue in essentiali, absolute, & necessaria sui negatione: quemadmodum, & Deo absolute necessaria, & essentialis existentia, ex eo quod à se sit, ac non ab alio consistit: quare absolute actualis negatio essendi, & entitatis, siue malitia physica impossibilibus competit; secus autem absolute actualis entitas, & esse, seu bonitas possibilibus: quare neque vis motus actualis intentionalis ad amorem his pro statu possibilis præcisè convenit; est illis, eorumque malitiae ad sui odium pro statu suae impossibilitatis convenient.

10. Item opponens contra eandem conclusionem. In bonitate, vel malitia possibili satis virtutis motus est, ut de illa complacemur: ergo, & ad mouendum intentionaliter Dei amorem, & complacentiam, vel odium. Antecedens probatur (nam consequentia videtur legitima) ab experientia, quæ quotidie cogitata gloria possibilis solum (ut saepe euenit cogitantibus) nunquam fatiunt, homines gaudent: obsecantque de cogitatis libidinosis actibus nec absolute existentibus, nec futuris, sed solum possibilibus viciose delectantur. Nec fatigantur, qui respondent, non de obiectorum cogitationum bonitate, siue honesta, siue delectabili, & turpi, sed de earum cogitatione, quæ actu, & absolute est complacere. Si enim delectatio de sola cogitatione sit, quia obiecta cogitata perferant venerea delectatio, nec mala, nec venerea erit; de sola quippe venereis cogitatione, intactis turpibus obiectis, delectari, nec venereum, nec peccatum est: liquidem de moralibus delectationibus, & conclusivis circa bonitatem, & malitiam actus libidinosis; si bene, ac vere discursisse nos, aut conclusisse deprehendamus, saepe ac honestissime gaudeamus, eo vtique præcisè, quod gaudium hoc ad turpia eorum cogitationum obiecta non extenditur: & quæ erat ad gaudium, de cogitatione obiecti, vel honesti, vel turpi, gaudere de alterutro omnes experiantur: ergo eiusmodi gaudium de obiectis, vel honestis, vel turpibus non autem de actualibus cogitationibus, quibus obiecta illa proponuntur, est.

11. Melius ergo, & solidius responderetur distinguendo antecedens: satis est virtutis motus intentionalis nostri gaudij in bonitate cogitata possibili, neque vsquam futura, aut existente absolute in re ipsa aut cogitatione factoris possibilis præcisè ac non absolute existente, aut

extinctura etiam cogitatione nostra, difficeret: quando enim absolute existens bonitas, siue honesta, siue turpis (etiam re ipsa nusquam existens, aut futura) à nobis non cogitatur, ac per cogitationem non representatur, de illa gaudere, complacereque non possumus, quia gaudium omne de obiecto solum præsentis, atque, ut tali per cognitionem representato esse essentia sua per omnes debet: Inde negatur consequentia: quia Deo res, ut sunt, ac non aliter, quam sint, necessario cognoscunt, nequeunt, ut absolute aliquando existentia representari, quæ pro nulla temporis differentia absolutam existentiam habent: imò, nec, ut existentia absolute cogitari, quæ nec pro aliqua etiam differentia temporis absolutam habent existentiam, cum præcisè secundum statum possibilitatis præcisè à Deo cognoscantur.

12. Instabis tamen opponensque contra eandem conclusionem ex tertia, quam ex fidei principijs statumimus, & sola cognitione possibilitatis præcisè rerum, ac bonitatis earum pro eo statu, ac non absolute existentie earum tam nos quam Deus earum desiderium, tum efficiaciam, inefficaciam concipimus: ergo pro illo statu præcisè possibilitatis, aliquid bonitatis est sufficienter motus intentionaliter ad sui prosecutionem; est obiectio in re hæc difficillima, & cui neminem eorum, quibus in conclusionem 2. consentimus, in terminis, & debita claritate respondere vidi. Respondeo æqua breuitate, & claritate distinguendo consequens ex dictis: sufficienter motus, ad sui statum prosecutionem seu quæ sit prosecutio sistens in illa bonitate, ut pro eo statu præcisè possibilitatis est, & cognoscitur, nego consequentiam; quæ sit prosecutio non sistens in illa pro eo statu, sed in aliam existentia absolute tendens: (cuiusmodi desiderium etiam inefficax, est) concedo consequentiam: cum enim de natura desiderij sit existentiam, & affectionem boni absens absolutam intendere, quam vtique adesse, absolute appetens non cognoscit, sed abesse ab illo, vel saltem illud pro statu, quo representatus ab existentia, & affectione absolute præcise cingere; ac rursus in impossibilem existentiam boni cogitatur ferri desiderium (prudens saltem) nequeat: sit ut bonum possibile, eiusve solummodo possibilitas cognita desiderio satis sit, ut in eius absolutam existentiam desiderium feratur, quod natura sua tendit in bonum, non quidem quia est in statu quo representatur; sed ut sit in alio statu, quo non representatur: quare ad sui pro illo statu prosecutionem, & amorem nullatenus sollicitat mouere, aut mouere potest; sed pro alio absolute suæ existentia.

13. Sed instas virgentius. Nil Deus nisi propter finem aliquem producere potest: & homines quidem ob salutis eorum finem iuxta Patres, & Doctores, qui affectus benevolentie erga homines est, nec sine complacentia in illis pro statu illo possibilitatis præcisæ (quem solum pro illo priori ante absolutam existentiam decreto illo apponendam habent) esse inde potest; ergo in hominibus, & creatis reliquis, quæ à Deo ob finem aliquem (ut pote rationali agente perfectissimo) creati debent pro statu possibilitatis præcisæ, est bonitas sufficienter, ut Deus pro eo statu in illis complacere. Respondetur Deum creatura, non, nisi ex fine aliquo producere posse; non posse autem aliquid producere ex complacentia in illo, ut possibili præcisè, neque ob finem, & bonum creaturæ, quam creare decreuit, & qua bonum ipsius creaturæ est, atque, ut præsuppositum ad eius absolutam existentiam formaliter absolute beneficium affectus, sed effectus solum, & interpretatiue, formaliter vero absolute finem illum creaturæ creandæ bonum ex complacentia alterius absolute præuisi cui bonus etiam finis ille sit, finem illum amare, tametsi posita illius creaturæ existentia, & creatione, effectus illa, & interpretatiua benevolentia in formalem affectum eius benevolentiam statim transeat: ac subinde ob finem illum atque, ipsi si bonum creatura à Deo dici potest: quia affectus & formalis benevolentia illius, & finis, quæ illi bonus est, creatione illius illico à Deo habetur.

14. Denique opponens contra conclusionem primam. Deus complacet, & necessario complacet de sua omnipotentia; nequit autem de illa complacere, quia de possibilibus omnibus creatis, (quæ eius terminus, seu

22 Controu. IV. de Voluntate Dei,

obiectum adequatum sunt) complacet: ergo complacet necessario de creatis cunctis possibilibus. Objectionem hanc cum aliis primæ conclusionis impugnacionibus non posuimus: quia præ ipsius debilitate omittitur decreueram: ne tamen minus gnari, qui nobiscum post hac senserint, ea non præiudicia in disputationibus turbentur, nego minorem. Ad quam probandam in nostra sententia de Dei Omnipotentia prorsus à possibilitate creaturarum absoluta nullum aduersarij medium suppetet. In Suarj verò opinione de eius cum ipsis connexionem, non ita difficile ad illam probandam fundamentum reperietur: maxime à paritate cognitionis eiusdem Omnipotentie, quæ ipso fatente in cognitis possibilibus esse nequit: cuius disparitas non admodum ad manum est. Sed eam Soarista hac in parte querant; sua refert non mea. Tamen ex dictis hæcenus haud difficulter assignarem: quia possibilia, quæ talia, veritatem sufficienter terminantur cognitionis habent, non autem bonitatem: quæ in re, non in cognoscente, esse debet iuxta S. Thom. supra.



QVÆSTIO III.

Ametnè Deus pro statu conditionata futuritionis conditionata contingentia.

Eneratim de omni contingenti conditionato inquirimus, tam creato, quam Diuino; de viroque ex eisdem ferè principiis definiendum erit.

CERTAMEN I.

Nonnulla pro questionis expeditione clariore.

1. EX dictis Controu. 2. d. 5. q. 2. de medio materiali Scientiæ Dei de conditionatis nostris contingentibus constat, quam conditionatorum contingentium creatorum nomine intelligenda proprie in præsentis questione veniant; atque naturales & necessarios effectus naturalium causarum, ex necessitate naturæ operantium, quæ tales, eo nomine non claudunt, quantumvis verbis quandoque futuritionem conditionatam sonent: v.g. Si ignis debite applicetur super eam ignefaciet: quæ tantundem valet atque hæc propositio: Ignis debite applicetur, ignefacietur natura sua est: quæ sane obiectiva veritas statum possibilitatis, & essentia, ac prædicatorum essentialium ignis non prætergreditur: illa ergo solum conditionata creata proprie sunt, ut citato loco diximus, quæ vel arbitrij creati actus immediati sunt, vel aliquem ex ipsis supponunt, foreque sub aliqua conditione dicuntur, quia reuera, si ea adhiberetur conditio, forent; cum tamen possent sub illa etiam conditione non esse.

2. Quoniam verò causarum naturalium effectus, & si respectu ipsarum contingentiam nullam habeant, quia ad operandum illos determinatæ, ac nusquam indifferentes de sese, & natura sunt; tamen respectu Dei, cuius arbitrio eiusmodi causæ naturales subordinantur in operando, contingentiam habent: quandoquidem causarum naturalium determinationi, & exigentiæ ita annuet rerum omnium Deus arbiter, & Dominus, ut non annuere absolute pro suo libito potuerit; & sic etiam naturalium causarum effectus respectu Dei in statu absoluto contingentiam absolutam habent: quare, & respectu eiusdem sub conditione, sub qua Deus exigentiæ causarum annuet, annueret, si adhiberetur, contingentiam proprie conditionatam absolute habebunt: unde, & sub ea conditione in conditionatis

contingentibus creatis proprietate sermonis absolute continentur.

3. Cæterum, si decretum concurrendi cum naturalibus causis ex parte conditionis, & hypotheseis ponatur effectus, & actio necessariè veritatis, ac non contingentis, adhuc conditionatæ erunt. Cum autem pro multo statu, nisi à causa totali, & adæquata sufficienter ad statum effectus posita, ac præsupposita, possit effectus consistere, ut patet, in statu possibilitatis, vel absolute futuritionis; atque Dei decretum partialis essentialiter requisita causa cuiusvis creati effectus sit, sit naturalis effectus contingentis conditionatæ veritatis formalis proxime esse non posse; sed cum mediata à conditionata decreti concurrendi Diuini quo causarum naturalium exigentiæ libere Deus annueret, si hæc vel illa conditio adhiberetur: Quare nil de conditionata futuritione effectuum naturalium examinandum hic est, præter ea, quæ occasione creatorum actuum liberorum de libera etiam conditionatis actibus Diuini dixerimus.

4. De Dei igitur ac rationalium creaturarum actibus liberis, siue arbitrij eorum decretis, & affectibus, qui sub aliqua hypothese (quæ absolute apponitur vel non apponitur) essent, quæstio versatur; hæc enim sola proprietate sermonis futuritionem conditionatam formaliter proximè sortiuntur: reliqua verò, quæ à Dei, vel nostri affectibus, ac decretis necessariò proueniunt formaliter proximè, & in se, sicuti contingentiam non habent, sed solum mediatam atque à nostri, vel Diuini arbitrij actibus mutuo acceptam; ita formaliter proximè, & in se proprietate sermonis futuritionem conditionatam minime sortiuntur. Quare nihil de eis in se simpliciter disputandum, definiendumque in præsentiarum erit, præter ea, quæ de nostris, Diuinisque decretis, & voluntatibus, quarum illa conditionatam futuritionem secundario solum participant, disputabimus, ac definimus.

Cum autem circa suos, ac nostros etiam conditionate futuros, proximè formaliter liberos actus multisque actu voluntatis suæ versari Deum possit intelligi: primo, vel pluribus eorum actibus erga futura contingentia conditionata, vel sua, vel nostra versetur, versariue Deus absolute possit? examinandum hic venit. Affectus autem Diuinæ Voluntatis (quod ad præsentem attinet) in complacentiam simplicem de eiusmodi conditionata contingentium futuritione; atque in eadem desiderium partitione primæ sufficienter dividitur: & complacentiam quidem scientia de eorum conditionata futuritione necessariò præcedet. Desiderium verò cum de eo, quod nondum cognoscitur esse in eo statu, in quo desideratur, ut sit, esse debeat, nullatenus conditionatam de conditionata contingentis futuritione, quæ desideratur, supponit; sed solum tantum simplicis intelligentiæ de possibilitate contingentiæ actus sub conditione illa. Denique desiderium inefficax, & inefficax de eiusmodi conditionata contingentis futuritione subdiuiditur.

CERTAMEN II.

Doctorem Placita, inconsequentia, & debilia fundamenta notantur.

1. DE affectu complacentiæ Diuino erga omnia proximè, & formaliter contingentia, conditionata futura, tam Diuina, quam create voluntatis cum Deo concedere ij omnes debent, qui ipsius de omnibus possibilibus necessariam complacentiam, vel liberam, sicuti de aliquibus eorum quæst. 1. asseruerunt. Verum ex eo qui complacentiam necessariam de conditionatis contingentibus negant. Cum quibus noster Alarcon. 1. tract. de volunt. si enim entitatis, & pedissequæ beatitudinis entitatis eiusdem rerum pro diuersitate statuum possibilitatis præcisiue earum ab statu existentie absolute earum satis habet, ut pro eo etiam statu Deo necessario placeant, in statu plane diuerso ab viroque illo, utrumque